

omnia adparata iam sunt intu'. *SI.* curasti probe.

*DA.* ubi voles accerse. *SI.* bene sane ; id enimvero hinc  
nunc abest.

etiam tu hoc respondes quid istic tibi negotist? *DA.*  
mihin? *SI.* ita.

*DA.* mihin? *SI.* tibi ergo. *DA.* modö introii. *SI.* 850  
quasi ego quam dudum rogem.

10 *DA.* cum tuö gnato una. *SI.* anne est intu' Pamphilu'?  
crucior miser!

eho non tu dixti esse inter eos inimicitias, carnufex?

*DA.* sunt. *SI.* quor igitur hic est? *CH.* quid illum  
censes? cüm illa litigat.

*DA.* immö vero indignum, Chreme, iam facinu' faxo ex me  
audies.

nescioquis senex modo venit, ellum, confidens catus: 855

15 quom faciem videas, videtur esse quantivis preti:

tristi' severitas inest in voltu atque in verbis fides.

*SI.* quidnam adportat? *DA.* nil equidem nisi quod  
illum audivi dicere.

*SI.* quid ait tandem? *DA.* Glycerium se scire civem esse  
Atticam. *SI.* hem

Dromö, Dromo. *DA.* quid est? *SI.* Dromo. *DA.* audi. 860

*SI.* verbum si addideris . . ! Dromo.

20 *DA.* audi obsecro. *DR.* quid vis? *SI.* sublimem intro  
rape hunc, quantum potest.